



Venerabili Fratri
CHRISTO PROYKOV
Episcopo titulo Briulitano
Exarcho Apostolico Sophiae
pro fidelibus ritus byzantini-slavi in Bulgaria commorantibus

Caritatis misericordis affectu sollicitudo Nostra, de salute universi dominici gregis Nobis commissi attentius cogitans, iis libenter providet, per quae ille feliciter dirigatur eiusdemque Pastores solaciis Nostris gaudeant, qui ad Ecclesiarum particularium curam assiduo studio suo intendunt. Testimonium proinde Nostrum tibi, Venerabilis Frater, libenter nunc tribuere volumus, quem novimus die VI proximi mensis Ianuarii argenteum celebraturum ordinationis episcopalis iubilaeum, et singulari ergo animo tibi hac Epistula gratulationem Nostram propter ministerium tuum significare.

Hanc celebrantibus occasionem, gratias liceat Nobis reddere Domino propter immensum beneficium Eius gratiae in te manifestatae, qua, presbyteratu anno MCMLXXI suscepto ac laudabiliter data opera studiis Canonum Ecclesiarum Orientalium, anno MCMXCIII Episcopus titulo Briulitanus et Coadiutor Exarchi Apostolici Sophiae a sancto Ioanne Paulo II electus es, per cuius manuum impositionem eodem die quo sollemnitatem in Epiphania Domini celebramus ministerium sic accepisti, per quod apostolici seminis traduces facti sumus; eiusdem Exarchiae biennio post plena ornatus es iurisdictione, quam etiamnum perseveranter exerces.

Hunc tuum recolentes famulatum, tibi etiam volumus gratum Nostrum animum patefacere propter egregium fidei testimonium pro utilitate christifidelium ritus byzantini-slavi in Bulgaria commorantium consummatum. Te ergo enixe confirmare volumus, ne pondus dierum et difficultatum timeas umquam, mandata christianae caritatis praecipue excolens illa, quae instrumentum est nostrae salutis et vinculum perfectionis (cfr *Cor* 3, 12-14), ut pax Christi dominetur in cordibus nostris, ad quam vocati sumus in uno corpore.

Tibi ergo gratulantes, Venerabilis Frater, Deum exoramus, ut, anniversarium tuum diem iucundissimum reddens, sua te constanter tueatur gratia divinaeque te confirmet caritatis praeconem ac misericordiae ministrum fidelem.

Cupimus demum Benedictione Nostra Apostolica te comitari, quam tibi elargimur, dilectis filiis filiabusque gregis Exarchiae Apostolicae Sophiae omnibusque celebrationem iubilaei participantibus atque illis, quos caros in corde habes, communicandam, a quibus preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus diligenter et sapienter adimplere possimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Decembris, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.



Franciscus